



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Baconi Baronis de Verulamio, Vice-Comitis S.
Albani, Summi Angliæ Cancellarii, Opera omnia, Quæ
extant: Philosophica, Moralia, Politica, Historica ...**

Bacon, Francis

Francofvrti ad Moenvm, 1665

Cap. VII. Partitio historiæ iustæ, in chronica temporum, vitas personarum,
& relationes actionum: earum partium explicatio.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10497643-5

gentia, plurima audacter confingant; alii alii, non tam ingeniorum suorum, quam affectuum imaginem rebus imprimant, & addant, partium suarum memores, rerum parum fideles testes: quidam Politica, in quibus sibi complacent, ubique inculcent, & diverticula ad ostentationem quaerendo, narrationem rerum nimis leviter interrumpant; alii in Orationum, & Concionum, aut etiam Actorum ipsorum prolixitate, parum cum iudicio, nimii sint, adeo ut satis constet, non inventi inter Scripta hominum rarius quicquam, quam Historiam legitimam & omnibus numeris suis absolutam. Verum nos in praesenti partitionem doctrinarum instituimus, ut omnia; non Censuram, ut vitiosa notentur, Nunc partitiones *Historia Civilis* persequemur, easque diversorum generum; Minus enim implicabuntur Species, si partitiones diversae proponantur, quam si una partitio curiose per membra deducatur.

CAP. VI.

Partitio prima Historiae Civilis, in Memorias, Antiquitates, & Historiam iustam.

Historia Civilis tripartita est, tribus picturarum aut imaginum generibus non absimilibus. Videmus enim ex picturis, & imaginibus, alias imperfectas, ut quibus ultima manus non accesserit; alias perfectas, alias vero vetustate mutilatas & deformatas, *Historiam* similiter *Civilem* (quae imago rerum & temporum quaedam est) in tres species, illis picturarum congruas, partiemur; *Memorias* scilicet, *Historiam iustam*, & *Antiquitates*. *Memoriae* sunt *Historia inchoata*, aut prima & rudis Historiae lineamenta, *Antiquitates* vero *Historia deformata* sunt, sive reliquiae Historiae, quae casu in naufragio temporum erepta sunt.

Memoriae, sive praeparationes ad Historiam, duplicis generis sunt, quorum alterum *Commentarios*, alterum *Registra* vocare placet. *Commentarii* nudam actionum & eventuum seriem ac connexionem proponunt praetermissis causis rerum & praetextibus, initiis quoque earundem & occasionibus, consiliis itidem & orationibus, & reliquo Actionum apparatu. Talis enim est propria *Commentariorum* natura: licet Caesari, per modeltiam quandam cum magnanimitate conjunctam, praestantissimae, inter eas, quae extant Historiae, *Commentariorum* nomen indere placuerit, At *Registra* duplicis naturae sunt: Complectuntur enim aut *Titulos Rerum & Personarum*, in serie temporum, quales dicuntur *Fasti*, & *Chronologiae*; Aut *Actorum Solennitates*, cujus generis sunt, Principum Edicta, Senatuum Decreta, Judiciorum Processus, orationes publicae habitae, Epistolae publicae missae, & similia, absque narrationis contextu, sive filo continuo.

Antiquitates, seu *Historiarum Reliquiae*, sunt [uti jam diximus] tanquam tabulae naufragii, cum deficiente, & fere submersa, rerum memoria, nihilominus homines industrii, & sagaces, pertinaci quadam, & scrupulosa diligentia, ex genealogiis, factis, titulis, monumentis, numismatibus, nominibus propriis & styliis, verborum etymologiis, proverbii, traditionibus, Archivis & instrumentis tam publicis quam privatis Historiarum fragmentis, librorum neutriquam Historicorum locis dispersis, ex his, inquam, omnibus, vel aliqui-

bus, nonnulla à temporis diluvio eripiunt, & conservant. Res sane operosa, sed mortalibus grata, & cum reverentia quadam conjuncta; ac digna certe, quae deletis fabulosis nationum originibus, in locum hujusmodi commentitorum substituantur; sed tamen eo minus habens Auctoritatis, quia paucorum Licentiae subicitur, quod paucis curae est.

In his *Imperfectae Historiae* generibus defectum aliquem non puto designandum, cum sint tanquam *Imperfectae Mista*, ut defectus hujusmodi sit ex ipsa earum Natura. Ad *Epitomas* quod attinet, (Historiam certe teredines, & tineas,) eas exulare volumus; quod etiam cum plurimis, qui maxime laesi fuerunt iudicii, facimus; utpote quae complura nobilissimarum Historiarum corpora exederint, & corroderint, atque in faeces inutiles demum redegerint.

CAP. VII.

Partitio Historiae iustae in Chronica, Vitas, & Relationes; Earumque partium explicatio.

At *Historia iusta* trium est generum, pro ratione *Objecti*, quod sibi proponit representandum. Aut enim *Portionem aliquam temporis* representat; aut *Personam singularem* memoria dignam, aut *Actionem aliquam* sive *rem gestam* ex illustrioribus. Primum *Chronica* sive *Annales* appellamus, secundum *Vitas*, tertium *Relationes*. Inter quae, *Chronica* celebritate & nomine excellere videntur, *Vita* autem, fructu, & exemplis, *Relationes* rursus sinceritate & veritate. *Chronica* namque amplitudinem actionum publicarum, & personarum facies externas, & in publicum vestias, proponunt; Minora autem, quae tum ad Res, tum ad Personas pertinent, omittunt, & silentio involvunt. Cum vero id artificii divini sit proprium, ut *Maxima è minimis suspendat*, sit saepe numero, ut hujusmodi *Historia*, majora tantum persecuta, negotiorum pompam potius, & solennia, quam eorum veros fomites & texturas subiliores ostendat: quietam, etsi Consilia ipsa addat, atque immisceat, tamen granditate gaudens, plus gravitatis atque prudentiae, quam re vera habent, humanis actionibus aspergat; ut Satyra aliqua possit esse verior humanae vitae tabula, quam nonnulla ex ejusmodi *Historiis*. Contra *Vitas*, si diligenter, & cum iudicio perscribantur. [neque enim de Elogiis, & huiusmodi Commemorationibus jejunis loquimur] quandoquidem Personam singularem pro Subiecto sibi proponant, in qua necesse est actiones, non minus leves, quam graves, parvas quam grandes, privatas quam publicas, componi & commisceri, sane magis vivas & fidas rerum narrationes, & quas ad exemplum tutius & feliciter transferre possis exhibent. At *Relationes* Actionum speciales [quales sunt *Bellum Peloponnesi*, *Expeditio Cyri*, *Conjuratio Catalinae*, & similia] omnino puriore & magis sincero veritatis candore vestiri par est, quam *Historias iustas* temporum, quia argumentum in iis deligi, & sumi potest habile, & definitum; atque ejusmodi, ut de eo notitia, & certitudo bona, & plena informatio haberi possit, cum contra *Historia temporis* [praesertim quae eate Scriptoris multo antiquior sit] necessario in memoria rerum saepius fatiscat, & veluti spatia vacua contineat, quae ingenio & conjectura occupari, & sup-

& suppleri satis licentèr consueverunt. Hoc tamen ipsum, quod de Relationum sinceritate dicimus, cum exceptione intelligendum est, nam fatendum certe est, (cum humana omnia ex parte laborent, & commoda cum incommotis ferè perpetuò conjuncta sint) hujusmodi relationes, præsertim si tub ipsa rerum gestarum tempora edantur, [cum sæpius vel ad gratiam, vel ad invidiam scribantur,] omnium narrationum merito maximè suspectas esse. Sed rursus huic incommodo etiam illud conuascitur remedium, quod illæ ipsæ Relationes, cum non ex una parte solummodo, sed pro factionibus, & partium studiis, ex utraque parte semper ferè edantur, viam hoc pacto quandam veritati, tanquam inter extrema, aperiant & muniant: atque postquam contentiones animorum deferuerunt, Historico bono & prudenti, non pessima historiæ perfectioris materia, & Sementis sunt.

Quod vero ad eam, quæ in his tribus historiæ generibus desiderari videatur, dubium certè nõ est, quin plurimæ historiæ particulares] de talibus loquimur quæ esse possint] alicujus dignitatis, aut etiam mediocritatis, cum maximo Regnotum & Rerump, quibus debentur, honoris & nominis detrimento, hucusque prætermittæ sint, quas notare perlongum esset. Cæterum exterarum Nationum Historias, Exterorum curæ relinquens [ne fortè sim in aliena Rep. curiosus] non possum non apud Majestatem tuam conqueri, de Historiæ Angliæ, quæ nunc habetur, vilitate & indignitate, quatenus ad corpus ejus integrum, nec non Historiæ Scotiæ iniquitate & obliquitate, quatenus ad Auctorem ejus recentissimum & uberrimum: Reputans mecum, honorificum admodum Majestati tuæ futurum, atque opus posteritati gratissimum, si quem admodum Insula hæc magnæ Britanniæ, se nunc in unam Monarchiam coalitam, ad sequentes ætates transmittit, ita in una Historia descripta, à præteritis sæculis repereretur, eodem modo quo Historiam decem Tribuum Regni Judæ, tanquam gemellam, Sacra Pagina deducit. Quod si moles hujusmodi historiæ, magna certè & ardua, quo minus exacte & pro dignitate perscribatur, videatur obfutura, ecce tibi memorabilem multo angustioris temporis periodum, quatenus ad historiam Angliæ, nimirum ab Unione Rosarū ad Unionem Regnotum, Spatium temporis, quod, meo quidem iudicio, majorem recipit eventuum, quæ raro se ostendunt, varietatem, quam in pari successiõnum numero, utipiam in Regno Hereditario deprehendere licet. Incipit enim ab adeptione Coronæ mixta, partim Armis, partim Jure: Ingressum siquidem ferrū aperuit, stabilimentum attulerunt Nuptiæ, Secuta igitur sunt tempora illis initiis consentanea, simillima studiis, post magnam tempestatem, tumores & agitationes suas, sed absque aliqua immani procella, retinentibus, atque gubernatoris prudentia, qui unus inter Antecessores Reges consilio enituit, superatis. Ordine proximus succedit Rex, cuius actiones, licet magis impetu quam consilio administratæ, non leve tamen in Rebus Europæ momentum attulerunt, eas subinde librando, & inclinando, prout ipsæ propendebant. Quo etiam regnante, cœpit fieri ingens illa Status Ecclesiastici mutatio, qualis raro admodum prodit in Theatrū.

Secutus est Rex minor. Deinentamentum Tyrannidis, licet illud brevissimum fuerit, instar febris Ephemere. Dein Regnum Fæminæ, extero Regi nuptæ. Rursus Regnum Fæminæ solitariæ, & cælibis. Hæc omnia demum excepit eventus iste faustus & gloriosus: nimirum hujusce Insulæ Britannia, à toto Orbe divisæ, in se unio, per quam Verus illud oraculum, Aenæ redditum, quod requiem ei præmonstrabat,

— Antiquam exquirite matrem;

supra nobilissimas Gentes Angliæ & Scotiæ, in nomine illo Britannia. Antiqua sua Matris, jam convenientes, adimpletum sit, in pign⁹ & tesseram metæ, & exitus eorum & peregrinationis jam reperi. Ita ut, quemadmodum corpora ponderosa jactata, antequam ponant & consistant, trepidationes quasdam experiuntur, eodem modo probabile videatur, Divina Providentia factum esse, ut Monarchia ista, priusquam in tua Majestate, Regiaque tua Sobole, (in qua spero eam in perpetuum fore stabilitam) consisteret, & confirmata esset, has tam varias mutationes, & vicissitudines, tanquam præludia stabilitatis suæ, subiret.

De Vitis cogitantem, lubit quædam Admiratio, tempora ista nostra, haud nosse bona sua, cum tam rara sit Comemoratio, & conscriptio vitarum, eorum, qui nostro sæculo claruerunt. Etsi enim Reges, & qui absolutum Principatum obtineant, pauci esse possint, Principes etiam in Rep. libera (tot Rebusq. in monarchiam conuersis) haud multi, utcunque tamen non de fuerunt Viri egregii (licet sub Regibus) qui meliora merentur, quam incerta & vagam memoriæ saxe famam, aut elogia arida & jejuna. Etenim hæc ex parte, inventum cujusdam ex Poëtis recentioribus, quo antiquam fabulæ locupletavit, non in elegans est. Fingit ille, in extremitate sili Parcarum numisma quoddam, seu Monile pendere, in quo defuncti nomen impressum sit: Tempus autem cultum Atropi præstolari, & statim abscisso filo, numismata eripere, eaq; asportata, paulo post in fluvium Lethes ex gremio suo projicere: Circa fluvium autem, magnam avium vim volitare, quæ numismata arripunt, ac postquam in rostris ipsarum paulisper eadem circumtulerint, paulò post per incuriam in fluvium decidere permittunt: Inter eas vero, Cygnos reperiri nonnullos, qui si numisma aliquod cum nomine prehenderint, illico ad templum quoddam illud deferre solebant, immortalitati consecratum. Hujusmodi itaque Cygni nostris temporibus ferè defecerunt. Quamvis autem plurimi hominum, curis & studiis suis nimio plusquam corporibus mortales, nominis sui memoriam, veluti fumum aut auram despiciant,

— Animi nil magna laudæ egeres,

Quorum scilicet Philosophia & veritas ab ea radice pullulat, Non prius laudes contempsimus, quam laudanda facere desivimus. Id tamen apud nos Sælononis iudicio non præjudicabit, Memoria iusti cum laudibus, at impiorum nomen putrescit: Altera perpetuo floret, alterum aut in oblivionem protinus abit, aut in odorem tetrum computrescit. Ac propterea in eo ipso stylo, vel loquendi formula, quæ recte admodum recepta est, ut defunctis tribuitur, (Felicitis memoria, pia memoria, bona memoria) agnoscere videmur illud, quod Cicero (mutuatus id ip-

55

idiplum à Demosthene) protulit, Bonam famam propriam esse possessionem defunctorum. Quam quidem possessionem non possum non notare, nostro ævo inculcam ut plurimum, & neglegam jacere.

Quantum ad *Relationes*, optandum esset diligentia, Quippe vix incidit aliqua actio illustrior, cui non intersit calamus aliquis ex melioribus, qui eam excipere & describere possit. Quoniam autem is per paucorum hominum esse debet, qui Historiam justam pro dignitate conscribat, (ut ex paucitate Historicorum, vel mediocrium satis liquet) idcirco si actiones particulares, sub tempus ipsum quo geruntur, tolerabili aliquo scripto memoriæ mandarentur, sperandum esset, exorituros quandoque, qui Historiam justam, ope & auxilio illarum *Relationum*, conscribere possent. Illæ enim instar Seminarii esse possint, unde, cum usus foret, hortus amplius & magnificus consereretur.

CAP. VIII.

Partitio Historiæ Temporum, in Historiam Universalem, & Particularem, & utriusque Commoda, & Incommoda.

Historia Temporum aut Universalis est, aut Particularis; Hæc alioj Regni, vel Reip. vel Nationis res gestas complectitur, illa Universalis Orbis. Neque enim defuerunt, qui Historiam Mundi etiam ab Origine scripsisse videri volunt; Farraginem rerum, & Compendia narrationum pro Historia exhibentes: Alii sui temporis res, per Orbem terrarum memorabiles, tanquam justa Historia complecti posse confisi sunt, conatu profectò magnanimo, atque fructu haud exiguo. Neque enim res humanæ ita Imperiis aut Regionib⁹ divisæ sunt, ut non habeant multa connexa; Quare juvat certe, fata, alicui seculo aut ætati destinata, veluti una tabula contenta & descripta intueri. Fit etiam, ut plurima scripta non contemnenda, [qualia sunt eæ, de quibus antea locuti sumus, *Relationes*] alias forte peritura, neque prelium sæpius passura, aut saltem capita ipsorum, in huiusmodi Historiam Generalem recipiantur, atque hoc pacto figantur, & conserventur. Verum tamen, si quis rem rectius perpendat, animadvertet, tam severas esse Historiæ iusta Leges, ut eas in tanta argumenti vastitate exercere vix liceat; aded ut minuatur potius Historiæ Majestas molis granditate, quam amplificetur. Fiet enim, ut qui tam varia unde quaque persequitur, is in formationis Religione paulatim remissa, & diligentia sua, quæ ad tot res extenditur, in singulis elanguescente, auras populares, & rumores capter: & ex relationibus non admodum Authenticis, aut huiusmodi aliqua levidenti materia, Historiam conficiat. Quin etiam necesse ei erit, [ne opus in immensum excrescat,] plurima relatu digna consulto prætermittere, atque ad Epitomarum rationes sæpius delabi. Incumbit etiam aliud periculum non parvum, atque utilitati historiæ universalis ex diametro oppositum. Quemadmodum enim universalis historia narrationes aliquas, quæ alias forte fuissent peritura, conservat; ita contra sæpè numero narrationes alias satis fructuosas, quæ aliter vitæ fuissent, propter grata mortalibus rerum compendia, perimit.

CAP. IX.

Partitio alia Historiæ Temporum, in Annales, & Acta Diurna.

Etiam Historia Temporum rectè dividitur in *Annales*, & *Diaria*; Quæ divisio, licet ex periculis temporum nomina sumat, tamen ad delectum rerum etiam pertinet. Rectè enim Cornelius Tacitus, cum in mentionem Magnificentia quarundam structurarum incidit, statim subdit, *Ex dignitate populi Rom. repertum esse, vestilustres Annalibus, talia diurni urbis actus mandare*: Applicando Annalibus res, quæ ad Statum Reip. pertinent; Acta vero & Accidentia leviora, Diariis. Meo utique iudicio, valere conveniret disciplinam quandam Haraldicam, in disponendis non minus librorum, quam personarum dignitatibus. Sicut enim nihil Rebus Civilibus magis detrahit, quam Ordinum & Graduum confusio; ita etiam Auctoritati historiæ gravis haud parum derogat, si admisceantur Politicis res levioris momenti; quales sunt pompæ, & solemnitates, & spectacula, & huiusmodi. Atque sanè optandum esset, ut illa ipsa distinctio in consuetudinem veniret. Nostris vero temporibus, *Diaria* in navigationibus tantum & expeditionibus bellicis, in usu sunt. Apud Antiquos certe Regum honori dabatur, ut acta Palatii sui in *Diaria* referrentur; quod videmus factum fuisse sub Ahasvero Persarum Rege; qui cum noctem ageret in solænem, *Diaria* poposcit; ubi conjurationem Eunuchorum recognovit: At in Alexandri *Diariis*, tam pusilla continebantur, ut etiam, si forte ad mensam dormiret, in acta reponeretur: Neque enim sicut *Annales* tantum gravia, ita *Diaria* tantum levia complexa sunt; sed omnia promiscue & cursim *Diaria* excipiebantur, seu majoris, seu minoris momenti.

CAP. X.

Partitio secunda Historiæ Civilis, in Meram, & Mixtam.

Postrema vero partitio Historiæ Civilis ea sit, ut dividatur in *Meram*, aut *Mixtam*. *Mixtura* celebres duæ: Altera ex *Scientia Civili*. Altera præcipuè ex *Naturali*. Introductum est enim ab aliquibus genus scribendi, ut quis narrationes aliquas non in serie historiæ continuatas, sed ex delectu auctoris exceptas conscribat: deinde eadem recolat, & tanquam ruminet; & sumpta ab ipsis occasione, de rebus Politicis disserat. Quod genus historiæ *Ruminata* nos sanè magnoperè probamus, modo huiusmodi Scriptor hoc agat, & hoc se agere constituat. *Historiam autem iustam* ex professo scribenti, Politica ubique ingerere, atque per illa solum historiæ interrompere, intempestivum quiddam, & molestum est. Licet enim historia quæque prudentior, Politicis præceptis, & monitis, veluti imprægnata sit, tamen Scriptor ipse sibi obstetricari non debet.

Mixta etiam est *historia Cosmographica*, idque multipliciter: Habet enim ex *historia Naturali*, *Regiones ipsas*, atque earum *Situs*, & *Fruitus*; Ex *historia Civili*, *Vybes*, *Imperia*, *Mores*; Ex *Mathematicis*, *Climata*, & *Configurationes Cæli*, quibus tractus mundi subiacent. In quo genere *Historia*, sive *Scientiæ*, est quod seculo nostro gratulemur. Orbis enim terrarum factus est, hac nostra ætate, mirum in modum fenestratus, atque patens. Antiqui certe *Zonas* & *Antipodas* noverant,

Nosque